

Universitätsbibliothek Wuppertal

Renati Des-Cartes Principia Philosophiae

Descartes, René

Amstelodami, 1664

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1384](#)

L E C T O R I.

X quo tempore lucem adspexit Philosophia Nob.
Viti RENATI DES CARTES, à multis quidem,
sed non uno excepta est modo: verum diversam ea ex-
perita est fortunam, prout in manus diverorum incidit
ac genios. Sunt, qui serias in eam instituerunt Objec-
tiones, quibus serio ab Heroë illo est responsum,
cum Latinè tum Gallicè. Alii, cum aliud non possent, arrodere
tamen eam & admordere voluerunt: quibus, ut ipse in Pra-
fatione Medit. Metaph. vatem egit Philosophus, rationum
seriem & nexus comprehendere non curantibus, in singu-
las tantum clausulas argutari fuit studium; qui idcirco,
quamvis cavillandi occasionem in multis invenerint, nihil
tamen quod urgeat, aut responsione dignum sit, obje-
nent. Hujus farinæ est, Tenebrio quidam ac Lucifuga, qui nunc
Theophilum, nunc Mercurium Cosmopolitam sè vocat, in
geminò libello, ante aliquot annos edito; & nuperus Theolo-
gus in suā Methodi Cartesianæ Theologicā Consideratio-
ne, in quā criminaciones suas ac calumnias, D E O O P T.
M A X. D E O Forti, Zelotæ, Causæ suæ Vindici, No-
minis Assertori, Veritatis Protectori, sacras facere, cum mul-
torum stupore, non erubuit. Quasi, criminacionibus & calu-
nniis certare, idem sit, ac Causam, Nomen, Veritatem Dei,
vindicare, asserere, protegere! An non hoc est illud, quod Pro-
pheta ait Malachias, cap. 1. 8. D E O offerre animalia cœ-
ca, clauda, ægrotæ; quæ Ducibus suis ac Curatoribus offerre,
sacerdotem istum puduisse? Et, si attentus Considerator at-
tentius considerasset hec Methodi verba (pag. 3. Ne quis i-
gitur putet, me hic traditurum aliquam Methodum, quam
unusquisque sequi debeat ad rectè regendam rationem: illam
enim tantum, quam ipse fecutus sum, exponere decrevi. Et
pag. 13. Quamvis, quia opus meum mihi satis placet, ejus
exemplar hic vobis proponam, non ideo cuiquam Author es-

se velim , ut simile quid aggrediatur) facile ab illa sua Consideratione substituisse, ex qua nominis maculam potius quam laudem apud eacos rerum estimatores reportavit, ut non dicam, πολυπορεύοντας notam eum incurisse , dum falcam Theologicam immisit in messem Philosophicam ; quod vere est , λεπιδεις οι μόνοι . Alii in Philosophiam Cartesianam insurrexerunt thessibus ad disputandum proponi soliti ; Lutetiae , Ultrajecti , Groningae , Franckerae , Lugduni : & , vel aperto Marte ejus Authorem sunt aggressi , vel sub tecto & generali Neotericorum Philosophorum titulo latenter in ipsum irruerunt , vel in totum nomen ejus dissimularunt . Postremi generis utriusque specimen nuperrimè contigit , in Antiquissimā & Novissimā Belgicā Fœderatā Academia . In Lugdunensi quidem , Philosophus primarius , Vir , ut D. Cartesius judicat , non malus , ac simplex potius quam prudens , affectu , nescio quo , abruptus , Neotericis quibusdam Philosophis , tam fatuas , tam ineptas , tam insulsas affinxit opiniones ; ut seipsum fecerit ludibriū multis jocundum ac risum , multis commiserationem : & , quamvis in disputandi actu quadrasyllabum hoc nomen , C A R T E S I U S , non pronuntiaverit , ac publicè postulatus , ut nomen alicujus Neotericī Philosophi , tam stultas opiniones tenentis , proferret , turpiter hic defecerit , ita tamen se gesse , & in omnem circumcidit partem , ut non alium designari quam D. Cartesium facile Auditorum cuivis constituerit : & , quid multis est opus ? Theses ipse hoc abunde loquuntur . In Ultrajectinā Academiā , Medicus non indoctus , disputacionem quandam conscripsit , de Cachexia Leucophlegmaticā , cui Corollaria nonnulla subjunxit , ad convellendas Medit. Metaph. Cartes. instituta : quæ , cum disputatio esset sufflaminata , patenti folio , per varias Hollandiæ Vrbes sunt missa , in signum vel triumphi , vel provocationis , ac certaminis in eas instituendi . Licet vero Generosissimus D. des Cartes , istos Thesium & Considerationum assultus atque allatrationes magno animo contemperavit , nihilque unquam reponere voluerit , tantum tamen à se impetravit , ut isti Corollariorum Programmati Responsū aliquod reposuerit ; quod Amico , cui misit & potestatem ejus fecit , non indignum fuit visum luce publicā : quo fortassis ad melius

orem mentem reducatur Programmatis Author; & quia non nullis fortè videatur in eâ contineri aliquid vindice dignum: neque enim unquam existimationi aut partibus suis defuit, vel deest D. Cartesius in respondendo, si quid adversus Philosophiam suam responsione dignum fuerit productum. At vero calumnias ac futilles rugas, & quea nullam ex suis sententiis aut responsionibus feriunt, sed que aut in objectiones tantum, vel à se excogitatas, vel ab aliis ad inventionem veritatis prolatas incurruunt, aut hinc inde particulam ex suis scriptis vellicant, insuper habet. Scilicet, Aquila non captat muscas. Sed Praefationum satis; atque ipsum Programmatis examen & Notas legere atque expendere opera fuerit pretium.